

10 / 79

IDIBVS OCTOBRIBVS

MCMLXXIX



RVMOR VARI



RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRICENSI in ae-
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS duodecies in
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:
(annum)

In Helvetia	Fr. 8.80
In Germania	DM 11.--
In Austria	ÖS 90.--
In ceteris Eu- ropae terris	Fr. 13.--
In terris trans maria sitis	Fr. 18.--

Singula specimina, qui
rogaverit, gratis accipiet

Collegium redactorum:

Ulricus Aeschlimannus
Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Patricius Hardmeier
Martinus Meier

Impressum et dispositionem
rerum legentibus publicanda-
rum curat:

Franciscus Bachmannus

Typographëum:

Copy Quick, Turicum

Epistulae, mandata mittenda
sunt ad domum editoriam:
RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:
Schweizerische Bankgesell-
schaft
RVMOR VARIVS 806.134. J 1 A

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
UNTER DEM Patronat der AKAD
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 12 Mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreise:
(jährlich)

Schweiz	Fr. 8.80
Deutschland	DM 11.--
Oesterreich	ÖS 90.--
Übriges Europa	Fr. 13.--
Uebersee	Fr. 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Patrick Hardmeier
Martin Meier

Graphik und Layout:

Franz Bachmann

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse
(Briefe, Korrespondenz):
RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindungen:
Schweizerische Bankgesellschaft

RVMOR VARIVS 806.134 J 1 A

PRÆFATIO

Ulricus Aeschlimann omnibus legentibus s.d.p.!

Primum pro toto collegio redactorum me apud vos excusare velim, cum in libello Idibus Septembribus edito nescio qua falsa compositione litterarum exscriptarum legentibus aliqua turbatio orta sit. Inter haec errata, quae etiam vos animadvertisse certo scio, egomet aegerrime fero illa, quae in pagina CXIV inveni: Qua in pagina (agitur illo loco de somnio, quod avia narratori interpretari velit) verba in quinta, sexta septimaque linea posita ita perverse exscripta sunt, ut, quicumque ea legat, intellegere non possit utrum loquat avia an narrator somnii. Hac re fabula ab amico nostro Dr. Emanuel Bernard optime narrata-miserabile dictu!-inexpiabile modo corrupta est. Oramus, ut etiam auctor fabulae nobis redactoribus veniam det! Fabula sua, ne in futurum permaneat corrupto modo divulgata, in hoc libello maxima parte iterum vulgatur ea pagina, quam libello adiunctam invenitis: Si hanc paginam pro pagina CXIV in RVMOREM VARIVM Idibus Septembribus editum agglutinaveritis, totam fabulam a redactore nostro Dr. Emanuel Bernard de somnio suo scriptam lineis corruptis emendatis religere poteritis.

Ceterum vos certiores facere velim collegam adhuc nostrum Thomasum Wichtermann, quem coauctorem nostri libelli noveritis, mandatum suum redactoris nuper reposuisse; sequitur nunc novum negotium in schola publica Turici sita, quo negotio tempus nos adiuvandi futurum ei deerit. Amisimus eum probatum socium operis; speramus eum semper valere! Fortasse aliquo futuro tempore iterum collegio nostro redactorum collega adiungi poterit.

Iuvat autem vobis nuntiare Martinum Meier, quem carmina Iohannis Petri Matteri linguae Latinae

adaptantem noveritis, pro Thomaso Wichtermann
novum socium in numero redactorum receptum esse!
Carminibus suis laetis etiam futuris in libellis
gaudere poterimus!

Nunc legite hunc novum libellum, cari lectores!
Gaudete ratis partibus in eo vulgatis! Ne iras-
camini, si semper aliquo loco erratum typographi-
cum inveniatis! Immo scribite nobis, ubi vel quae
errata inveneritis; semper ea in proximo libello
emendabimus, nam

"cuiusvis hominis est errare, nullis nisi
insipientis in errore perseverare"

ut ait Cicero (Philipp. 12, 2, 5).

Valete!
Ulricus Aeschlimann

LAUS FERIARUM DOMI ACTARUM

Feriis aestivis iamdudum lapsis interdum, ut
animum recipiam e duro labore cotidiano, memi-
nisse iuvat haec et illa, quae acta, experta,
visa, audita sunt tum, cum domi vel alibi versa-
bamur. Cum autem plurimis civium procul abire et
extremas visere gentes sit animus, mihi, ut aper-
te loquar, nihil est quam domi manere gratius.
Ita ut summopere mirer homines nostrates tam cu-
pidos esse alios locos, alias civitates, alias
terras petendi, quin etiam terras trans Oceanum
sitas, existimans nihil viro experto esse dulcius
quam in patria manere tempore aestivo, cum pro-
fanum vulgus absit.

Commoda autem, quibus is utitur, qui apud penates
manet, enumerare liceat!

Primo: urbs nostra mirum in modum quasi vacua est
hominibus, ita ut autoraedam, quo loco placebit,
collocare possis. Non habebis, quod ad collocan-
dam per horas locum quaeras aliisque propterea
male preceris civibus. Est aliquid tamen! An
aliter vobis visum?

Secundo: balneae prope litus lacus Turicensis
sitae, quae "Strandbad Mythenquai" appellantur,
locus amoenissimus, cum serenus est Iuppiter, meo
iudicio meoque animo ad ferias agendas maxime
aptae videntur esse, cum prospectu frui pulcherri-
mae urbis, lacus, collium, vicorum lacum circum-
dantium, pratum, puellas nitidas, arbores ramos-
que vento placido mota, sonos varios garrientium,
vociferantium, ludentium gaudere, interdum potum
quemlibet in thermopolio sorbere possis, et parvo
pretio insuper, si comparabis cum pecunia, quae
in feriis procul a patria actis sit expendenda,
haec omnia tibi comparentur. Itaque re vera tam
stultos esse contemporaneos nostros miror, ut pro-
cul abire malint. Fortasse nihil aliud spectant
nisi, ut amicis ex longinquo scidulis lucis ope
pictis salutem dicere queant simulque pecuniae
satis sibi esse manifestare, ut longa possint
itinerata facere (sive per pedes apostolorum, sive
aliquo terrestri vel aëreo vehiculo tracti).
Eheu! Plus semper videri quam esse plane nostri
saeculi est! An fallor? Et falli re vera videor,
si accuratius iudico: non enim nostri tantum sae-
culi est, sed hominis omnino. Cur ita? Cur autem
divites imprimis velint videri, miror. Num est
magni et nobilis ingenii divitiis studere? Minime!
Immo vero longum est enumerare viros sapientes
extrema angustia mortuos, at brevissimum enumera-
re illos homines mediocres, qui maximas sibi opes
comparaverint.

At ne aberrem atque in proposito maneam: Nihil
iucundius quam domi ferias agere! Etenim cum ani-
mus sit petere penates, domesticis poteris opibus
et commoditate frui, cum procul a patria, in alie-
nis terris versantibus incommoda plurima generis
maxime varii patienda sint, sive quod cibus ad
concoquendum difficilis, aqua insalubris et foe-
tida, dormitoria inculta, caelum grave, mores

alienae gentis vix tolerandae sint, sive quod nimia pecunia expensa urgeat animum vel commoditates nobis carae et solitae desint.

Me certe, ut paucis dicam, vere miseret illorum feriis aestivis procul abeuntium. Vobis autem si aliter videbitur, conamini, quaeso, traducere me ad sententiam vestram! Libenter audiam et fortasse discam. Curate, ut valeatis!

Dr. Emanuel Bernard

EPISTVLÆ 'RVMORI VARIO' SCRIPTÆ

Vicus Lacus Palustris, a.d.VI.Kal.Oct.
anni MMDCCXXI. a.u.c.

Martinus RVMOREM VARIVM legentibus salutem
dicit !

Si valetis, bene est, ego valeo, si valere potest vir Helveticus mox in militiam discessurus! At ne nimis doleam, sed vobis, quod me in superiore RVMORE VARIO facturum esse pollicitus sum, praebeam: aliud enim carmen a Mani Matteredo scriptum sermoni Latino tradiidi. Hoc carmen historiam de Noa narrat, de viro igitur, quem homines ob sententias alienas dementem iudicabant, qui autem postremo magis Deo quam hominibus credens solus servatus est. Inter nos quoque nonne sunt, quos irrideamus, quia contra consuetudines quasi publicas agant? Interdum doceri docendo praestat!

D E N O A

VIR

ANTE TEMPORA PERMVLTA AEDIFICAVIT
CISTAE SIMILEM REM. SPECTANS QVISQVE HOC ROGAVIT:
"QVID TV FACIS?" "NAVEM", ILLE DIXIT, "FACIO."
SED NEC MARE HABVIT NEC LACVM REGIO.
ET IVRE HOMINES DICEBANT: "DEMENS EST."

NEC MAGIS INTELLEXERVNT NAVEM HANC FVISSE
MILLE PEDES LONGAM, LATAM CENTVM ET FECISSE
VIRVM PORTAM MAXIMAM IN NAVE MEDIA
LATERE IN DEXTERO, VT FIERET PLENA.
ET IVRE HOMINES DICEBANT: "DEMENS EST."

ET VIDERVNT EVM NAVEM MVRIBVS IMPLERE,
FELIBVS ET VACCIS ET LEONIBVS COMPLERE
LVPIS ET SERPENTIBVS, EQVIS AC SIMIIS
BINAS ELIGENTEM OMNIBVS EX BESTIIS.
ET IVRE HOMINES DICEBANT: "DEMENS EST."

POST ID NVRBIS CVM SVIS NAVEM VIR INTRAVIT
CVMQVE FILIIS ET VXOR EIVS PENETRAVIT.
EXTRA NAVEM HOMINVM CONCVRSVS FACTVS EST
IRRIDENTIVM, CVM PORTA MAGNA CLAVSA EST.
ET IVRE HOMINES DICEBANT: "DEMENS EST."

SED TVM IMBRES CECIDERVNT ADHVC NVMQVAM VISI
ET IMPLENTES VALLES LATAS MONTIBVSQVE NISI¹
"OPTIME", AVDIVIT VIR IN NAVE, "APERI!"
SED MOX QVIES MORTIS ERAT FACTA IN MARI.

Valete! Martinus Meier

¹(von nitor, nisus sum)

DE BENEDICTO ABBATE MONASTERII IN VALLE SPECIOSA SITI

Quis vestrum ignorat illum equitem aetatis quae dicitur media exeuntis, qui hostes suos manu ferrea debellavit et nuntium quendam terruisse dicitur memorabili invitatione, ut sibi culum lamberet? Post longam et bellicosam vitam invenit in sepulchro, quod adhuc admirare possumus, si monasterium speciosae vallis ("Schöntal") non procul a Heilbronn situm, visitamus. Hos ibi versos legimus:

Hac generosus eques Gotfridus clauditur urna
Berlichius, toto notus in orbe senex.
Plurima magnanimus qui vivens proelia gessit,
At nunc perpetuo pacis amator erit.
Tutus ab insultu, nulli metuendus et ipse
Aeternis fruitur sed sine fine bonis.

MDLXII

Eodem in monasterio vixit abbas Benedictus Knittel XVII/XVIII s. Non magnus sed certe copiosissimus poeta erat; traditur ille quemcumque parietem, quem vacuum vidisset, versibus contexisse. Mihi videtur sparsor vel "Sprayer" fuisse. Rustica tamen Musa adiutus ipse concedit:

Non nisi Knittelios didici componere versus.

Inventor eius generis versuum qui "Knittelverse" nominantur tamen non est. Germanica et Latina lingua versus composuit, nonnumquam utraque permixtos.

Amabat certe vinum. Supra portam, qua intres in cellam subterraneam dolia ingentia continentem legas:

Cur olim soles, latebras modo, Bacche, requiris?
Te fugio. - Quare? - Me jugulare cupis. 1)

Amabat vinum, amabat et artem venandi. Fuisse videtur venator optimus, nam optimo venatori in conventu venatorum praemium offertum est, ut proculum forma cervi figuratum ebiberet. Cum Benedicto liceret hoc potum conari, eventum longiore carmine commemoravit his versibus incipiens:

Mein lieber Hirsch
Komm, wann mich dürst,
tunc totum epotabo.
Ich werd ohn Krauss
dich würckhen auss
nec pellem lacerabo.
Wer aber satt
schon Trunkhen hatt
et vult exenterare:
der seh Sich für,
ergreift die Thür,
dum adhuc potes stare.

et ita finem faciens:
Aufs eingewaidt
Thu ich beschaidt
ero contentus mero.

1) Bachus, du Freund der Sonne, was suchest du jetzo das Dunkel? Vor dir flieh ich. Warum? Weil du mir willst an den Hals.

Haut, Kopf, gewicht
 begeh ich nicht
 vero relinquam Hero.
 Ess lebe Ho
 Hauss Hohenlo
 cuius salutem bibo.
 Ess gilt mit Muth
 biss auf die ruth
 in librum nomen scribo.

Nimis parum dic avarum,
 Nimis multum sagit stultum.
 Omne, quod est nimium,
 Vertitur in vitium.
 Et post noctem bona dies,
 Post laborem grata quies,
 Esca post ieiunium,
 Feriae post studium.

Et privatissimum secretissimumque locum inscriptione ornavit in honorem Sancti "Culiani":

Nunc stas ante Lares Culiani, comprime nares.
 Si Natura tamen monet, ipsi ferto levamen.

Maxime autem mihi placuerunt versus artis pleni infra horologium solarium inscripti:

Magna	aeDe	haC	ereCta
Meas horas	De	Corre	Cta
Metho	Do	neCnon	perfeCta
More pro	De	Cente	speCta
Maneant a	Deo	haeC	teCta
Mo	Do et	posthaC	proteCta

Satis perspicui potest et viatori multa gaudia occurrere. Bernardo nostro puellas nitidas maxime parte corporis nudas perpetuo intuenti fortasse et hoc placebit:

Sola munda sunt iucunda
 Sunt honesta, quae modesta.
 Sobrium sit gaudium:
 Virtus amat medium.

Versus supra citatos et multos alios invenire potes in libello "Knittelverse". Inschriften aus dem Kloster Schöntal. Ausgewählt und übersetzt von Wynfrid Stiefel. 2. Aufl. o.O.o.J. In monasterio ipso ematur.

Dr. J. Bleiker

SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Hic sunt, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

1	O	F	2	F	I	3	C	I	5	O	6	S	U	7	S	
R			8	A	P	O	L	L	O						U	
9	N	A	V	I	G	I	O	L	10	U	M					
A																
11	M	12	O	S		T	N							13	E	T
E	B				14	C	O	A				15	O			U
N	S	16	A	O								17	E	R	G	O
18	T	E	M	E	R	A	R	I	U	S						
19	U	R	E	R	E											
20	M	A	S	C	U	L	I	N	U	S						

primum praemium:
 Herr
 Max Müller-De Vries
 4143 DORNACH

secundum praemium:
 Fräulein
 Elisabeth Schädeli
 3005 BERN

tertium praemium:
 Herr
 Daniel Weissmann
 3014 BERN

Aenigma

QVO PRAEMIUM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA IDIEVS OCTOBRIBVS MCMLXXIX EST!

PRAEMIA SVNT: primum praemium: LIBER
 secundum praemium: LIBER PARVVS
 tertium praemium: LIBER PARVVS

ad libram:

1. quod dissolvi potest
8. simplex
9. consul (breviterscriptio)
10. praepositio
11. hoc tempore
13. plane vasto
15. atque
16. altaria
17. Et ..., mi fili Brute!
18. malum (contrarium)
20. ... mens sana in corpore sano!
21. interiectio
22. odorem bonum habui
23. redintegratio pastionis

ad perpendiculum:

1. mensis
2. femina, quae metamorphose Leucothea, dea maris, facta est
3. porcus
4. fructus oleum optimum nobis praebens (acc.)
5. femina maligna, quae puellas nescientes cum viris malis copulat
6. dea Romana (regina caeli)
7. excutio (muta praefixum!)
12. nati
13. olus, brassicae parens
14. homines, qui audire non possunt
16. particula interrogativa
19. negatio

1	2	3		4	5			6			7
8											
9				10				11		12	
			13			14				15	
		16								17	
18							19		20		
21					22						
23											

- tudinis tuae? Cum enim tu te ipsum irridere noluisse, conscientia mala, ut ait Sigismundus Freud, per somnum tibi misit imaginem illam, qua irridereris. Intellexistine?
- Intellexi, at cur sim irridendus, non intellego.
- Pro Iuppiter! Irridendus nimirum es, quod puellas sectaris et venaris ut tuae aetatis vir, quasi senex.
- 'Pro Iuppiter!' dicis etiam atque etiam, dulcissima avia. Et ego tibi dicam: Iuppiter ipse, quem testem advocas, exemplo mihi est, quippe qui multo me maior natu milies plures puellas sectatus est quam ego.
- Fave linguae, mi puer! Verere Iovem! An illud ignoras 'Quod licet Iovi, non licet bovi?'
- Ego ergo tuo iudicio bos sum?
- Mi anime, boves sumus omnes pro Iove. Nunc vero habeo, quod de somnio tibi dicam gravius: nam amicus tuus, qui ad balneas te invitavit, amicus verus non est, cum te destituerit.
- Mene destituit? Cur ita?
- Decepit te destituitque, utpote qui primo multa de autoraeda sua et de puellis visendis praedicavisset, tum autem ad vehendum autoraedam potens non esset.
- Minime, optima avia! Stultus ille forsitan sit, falsus non est. Nunc re vera rem in maius extollere videris.
- Stultus vel falsus, quid differt?
- Differt plurimum. Praeterea somnia vana esse putato.
- Non sunt vana! Vera sunt! At homines, quae eis displicent, non credunt.
- Dulcissima vates mea, gratiam tibi habeo plurimam, cum maximopere gavisus sim interpretatione tua. De verbis tuis meditabor. At iam me tempus alio vocat. Tu valebis!

Ihre Bank: Bankgesellschaft



Schweizerische Bankgesellschaft



SVBNOTO RVMOREM VARIVM:
(ich bestelle RVMOR VARIVS)


SVBNOTO RVMOREM VARIVM
DONVM DATVM ALICVI
Factura subnotationis mit-
tenda est ad adressam supra
stantem.
(ich bestelle RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:

RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH- 8050 Zürich

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE
ET CHARTAM MITTE!

DOMICILIVM MEVM:



RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH- 8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

10 / 79

IDIBVS OCTOBRIBVS

MCMLXXIX



RVMOR VARIVS

